

districtus secundum legitimam Regni consuetudinem ac Regia Decreta, observatis observandis, praestitisque praestandis, pro libitu vendere et emere, inducere et educere liberum et permissum sit.

De Delictis Privatis et Publicis.

Articulus Primus.

Omne furtum, cuius pretium triginta vel effractione simul commissa viginti florenos hungaricales non excedit, a Iudicibus Supremis vinculis vel opere publico puniatur. Majora autem furti si committentur, ad Regimen bellicum mittantur, ibi non pecuniariis poenis, sed Suppliciis Corpori infligendis coercendi.

Articulus Secundus.

Ita etiam si quis secunda vel tertia vice in furto deprehensus sit, atque eiusmodi furta duabus vel tribus vicibus commissa quadraginta florenos excedant, et ipse ad Regimen bellicum in Corpore poenas soluturus transmittatur.

Articulus Tertius.

Si quis violenta manu alteri quippiam surripuerit vel abstulerit, ille raptim cum damno illato restituat, nec non quatuor vel pro arbitrio Iudicis plurium, sed ad summum decem florenorum Ungaricalium poenam luat; si vero insuper aliquem etiam absque lethali laesione percusserit vel vulneraverit, ei pecuniaria mulcta maior sed ad plurimum 16 floreni solvendi sint; attamen si reus utroque casu pauperioris sit conditionis, vel ob enormitatem delicti alias id ita videatur, is carcere aut opere publico, aut alia eiusmodi animadversione castigetur.

Articulus Quartus.

Si cuiuspiam Jumenta vel Animalia alteri damnum fecerint, illud damnum per vicinos aestimetur, et ab animalis Domino sarciatur. Ac interim damnum passo liberum sit ipsum animal, quod damnum fecit, donec sibi satisfiat, retinere.

Articulus Quintus.

Si quis vero alterius animalia post aestimationem et damni compensationem adhuc detinuerit, ad id quod interest tenebitur.

Articulus Sextus.

Si quis alterius Jumenta noxam committentia ex malitia verberaverit vel occiderit, is animalium Domino, compensato prius quantum ipse noxae passus sit, damnum refundat, et nihilominus ob malitiam pro qualitate facti puniatur.